

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid X.453-469

Desiluit Turnus biiugis, pedes apparat ire
comminus; utque leo, specula cum vidit ab alta
455 stare procul campis meditantem in proelia taurum,
advolat, haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,
ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
vīribus imparibus, magnumque ita ad aethera fatur:
460 “Per patris hospitium et mensas, quas advena adisti,
tē precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta
victoremque ferant morientia lūmina Turni.”
Audiit Alcides iuvenem magnumque sub imo
465 corde premit gemitum lacrimasque effundit inanis.
Tum Genitor natum dictīs adfatur amicis:
“Stat sua cuique diēs, breve et irreparabile tempus
omnibus est vītae; sed famam extendere factis,
hoc virtutis opus.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid X.469-485

Troiae sub moenibus altis

470 tot gnati cecidere deum, quin occidit una
Sarpedon, mea progenies; etiam sua Turnum
fāta vocant metasque dati pervenit ad aevi.”
Sīc ait, atque oculos Rutulorum reicit arvis.
At Pallas magnīs emittit vīribus hastam
475 vaginaque cava fulgentem deripit ense.
Illa volans umeri surgunt qua tegmina summa
incidit, atque viam clipei molita per oras
tandem etiam magnō strinxit dē corpore Turni.
Hic Turnus ferrō praefixum robur acuto
480 in Pallanta diu librans iacit atque ita fatur:
“Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.”
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,
quem pellis totiens obeat circumdata tauri,
vibranti cuspis medium transverberat ictu
485 loricaeque moras et pectus perforat ingens.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid X.486-500

Ille rapit calidum frustra dē vulnere telum:
una eademque via sanguis animusque sequuntur.
Corruit in volnus (sonitum super arma dedere)
et terram hostilem moriens petit ōre cruento.

490 Quem Turnus super adsistens:
“Arcades, haec” inquit, “memores mea dicta referte
Euandro: qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,
largior. Haud illī stabunt Aeneia parvo
495 hospitia.” Et laevo pressit pede talia fatus
exanimem rapiens immania pondera baltei
impressumque nefas: una sub nocte iugali
caesa manus iuvenum foede thalamique cruenti,
quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro;
500 quō nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid X.501-509

Nescia mens hominum fati sortisque futurae

et servare modum rebus sublata secundis!

Turno tempus erit magnō cum optaverit emptum

intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque

505 oderit. At socii multo gemitu lacrimisque

impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

O dolor atque decus magnum rediture parenti

haec tē p̄īma diēs bello dedit, haec eadem aufert,

cum tamen ingentis Rutulorum linq̄uis acervos!